Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37192
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



officijs ordinandis. Quia ne forte cum non
expedit canticum istud sanctorum et angelorum diceretur. et ut
quando expedit dicatur. Capitulum. 14.

A sancto pascha usque pentheco-
sten. sine intermissione dicatur
alleluia tam in psalmis quam in responsorijs.

A sancto pascha etc. sine intermissione dicitur quia in
omnibus psalmis et in omnibus versibus. et in omnibus anty-
phonis et responsorijs vult dici Alleluia.

A penthecoste autem usque in caput quadra-
gesime omnibus noctibus cum sex posterio-
ribus psalmis tantum ad nocturnos dicatur.

A penthecoste etc. Quod dicitur in caput quadragesime.
Hodie mutatum est apud omnes latinos. qui in sep-
tuagesima canticum dimittunt. Et hec duabus excausis.
quia antiquitus incipiebant ieiuniorum observancias
inchoare ibidem quod adhuc non nulli observant.
quibus alijs temporibus licet comedere carnes. et extunc
incipiunt abstinere. Item tunc imponimus Genesim.
in quo exilium primi parentis dolorose recitamus. cui
dictum est In sudore vultus tui etc. Et incipit intro-
itus ad missam. Circumdederunt me etc. Tunc etiam in
missa pro Alleluia dicimus tractum. Et preter alias
rationes quibus tractus dicitur potest ista ratio dici. quia ille